Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 825
Quelle:
Copyright:

ait: *Quidam monachi, quos heredes beati Benedicti nouimus esse, discretionem seruant.* Sed *Augustinianae* addictum fuisse inde confici possit, quod p. *ead.* subdit: *Ait enim beatus Augustinus in regula, quam nobis tenendam proposuit* &c. Atque hinc ulterius quis inferat, eum e *Canonicorum Regularium* numero fuisse; legitur enim p. 201. *Sufficiunt ergo vnicuique fratrum nostrorum due tunice, pellicia vna, superpellicium, pelles siue pallium* &c. Quae omnia ad *Hugonem de Folieto* ducunt Can. Reg. S. *Petri Corbeensis* in *Picardia* et dein circa a. 1140. Cardinalem, de quo adi *Fabricium* in *Bibl. med. Lat.*

XXXII. *fol.* 215. p. 2. *Incipit Augustinus de conflictu virtutum et viciorum.* Initium: *Apostolica vox clamat per orbem* &c. Opusculum hoc in diversis editionibus *Augustino, Leoni M. Ambrosio* et *Isidoro Hisp.* tributum habes T. VI. Opp. *Augustini Append. col.* 219. *Mauriani* editores ad *Ambrosium Autpertum* Abb. *S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento*, Sec. VIII. scriptorem deferunt. Vide et *Indicem.*

XXXIII. *fol.* 223. *Incipit liber Augustini de ecclesiasticis dogmatibus. Credimus vnum esse Deum patrem et filium et spiritum sanctum* &c. Ultima sunt: *ymaginem in eternitate. similitudinem in moribus inveniri. Gennadii Massiliensis* Presbyteri est haec Confessio, olim *Alcuino, Paterio, Gennadio* Cplitano, *Fausto, Augustino* tributa, cujus T. VIII. edit. *Maur. Append. col.* 75. legitur, duobus *Capp.* amplior; Codex enim noster C. XV. et XVIII. desiderat, et praeterea in lectione non tantum ab edito, sed etiam ab exemplari mspto *Lucensi*, cujus specimina duo exhibuit Cl. *J. Dom. Mansius* T. XLV. Opusc. *Calogerianor.* p. 98. discrepat. Nam, ubi hic C. 2. legit: *Qui erat in Divinitate Patris filius ipse fieret in homine hominis matris filius*, noster habet: *Qui erat in diuinitate dei patris filius. ipse fieret hominis filius.* C. 5. ille: *Homousion ergo in divinitate Patri filius*, noster: *Omousion ergo id est coessentialis in divinitate patris patri filius* &c. Ceterum vide, quae de ipsa hac Confessione in art. *Gennadius* congessit *Fabricius Bibl. med. et inf. Lat.*

XXXIV. *fol.* 226. p. 2. Fragmentum *de Electione et Reprobatione* Hominum, signisque, unde quis conjiciat, se salvandum, aut damnandum fore. Initium: *Nota secundum Commentatores, eligere est vnum ex duobus legere* &c.

XXXV. *fol.* 229. Tractatus Medicus *de Regimine Sanitatis.* Incipit: *Vt testimonio galieni in libro de regimine sanitatis clare accepimus, quod in regimine sanitatis absque errore esse non possumus* &c. Agitur in hoc Tractatu, qui in scholis praelectus fuisse videtur, primum de *Diaeta in genere*, percurrendo sex res illas dictas non naturales, dein *in particulari*, ad certas quasdam Com-